

QUELQUES CAUSES DE STÉRILITÉ

DE L'IMPUISSANCE PAR CAUSE MORALE. — LEUR TRAITEMENT (1)

Sommaire. — Motifs qui ont déterminé à traiter ce sujet en latin. — Stérilité. — Causes : Anomalies dans la forme de l'utérus ; col conique. — Pathogénie de cette anomalie. — Conseils à donner dans cette circonstance. — Anomalies dans la situation de l'utérus ; ses effets ; ses indications. — Anomalies dans les dimensions de l'orifice utérin ; traitement. — Anomalies dans les sécrétions du col ; traitement. — Polypes.

Impuissance par cause morale ; observations ; indications thérapeutiques.

Il y a dans la médecine pratique des sujets tellement délicats, ou si honteusement exploités par le charlatanisme, qu'un médecin jaloux de sa dignité ne les aborde qu'avec réserve ; ou, s'il le fait, il recule devant certains détails qui sont acceptables dans les confidences intimes du malade et du médecin, mais qui ne paraissent pas pouvoir supporter la publicité.

De ce nombre sont certaines questions relatives à la stérilité et à l'impuissance, questions auxquelles se rattachent de très-grands intérêts, et sur lesquelles nous sommes très-souvent consultés. Introduites dans le domaine de l'enseignement clinique, elles se heurtent à des détails d'alcôve qui trouvent une place légitime dans le cabinet du médecin, mais qui ne peuvent que très-difficilement être exposés au public.

J'ai pensé que la langue latine donnerait à un travail de ce genre un caractère plus grave et plus exclusivement scientifique, en même temps qu'elle permettrait plus de liberté dans l'exposition et couvrirait comme

(1) Extrait de l'*Union médicale*, 4 décembre 1873.

d'un voile certaines crudités d'expression que notre langue ne saurait souffrir.

Je publie ce travail dans le désir d'être utile aux jeunes médecins en leur offrant les résultats de mon expérience personnelle, et surtout en leur transmettant sur ce sujet quelques-uns des enseignements de Chomel, qu'il m'a été donné de recueillir de la bouche de cet illustre maître.

DE NONNULLIS STERILITATIS CAUSIS ; — DE IMPOTENTIA IMAGINARIA ;
QUENAM CURATIO SIT ADHIBENDA.

Humanum genus sexuali commercio servandum natura instituit. Connubii læta soboles fructus, finis et felicitas, quæ orbata vacua et quasi imperfecta languet conjugalis societas. Si quid huic divino proposito obstet et arte removeri valeat, illud non medici dignitati non castitati repugnat.

Infœcunditatis causæ ex duplici fonte oriuntur : aliæ ad virum spectant, aliæ ad mulierem.

Non mihi animus est omnes sterilitatis causas ad unguem indagare ; paucas in medium proferam quæ mihi sæpius occurrerunt quanquam fortasse non satis vulgatas.

Ut in congressu congruunt duo procreationis instrumenta et ad assequendum providentis naturæ consilium vergat hoc opus, non nullæ requiruntur conditiones :

Primo non omnino indifferens est uteri figura : cum cervix nimis longa turbinatam formam induit, ita ut ad os vaginæ propior accedat, difficilius concipit mulier, ut sæpe in suis lectionibus monebat Chomel, Baudelocque majoris auctoritatem invocans ; inde fit enim ut in congressu membrum virile prominentem uterum transeat et in cæcum vaginæ fundum semen vacuè emittatur et inutile stagnet.

Plerumque hæc uteri forma cum cervicis porrectione, non raro cum orificii angustia conjungitur. In plurimis casibus, nulli quam deprehendere possis, exteriori causæ adscribenda, ex evolutionis primordiali vitio quodam originem trahere videtur. In nonnullis acquisita et præteriti morbi cujusdam vestigium observanti se præbet :

OBS. I. — Juvenem mulierem nuper vidi de sterilitate querentem ; insuper doloribus circa lumbos, hypogastrium, crura simul cum leucorrhœa afficie-

batur; quæ mihi lamentabilem, non prorsus inauditam, hanc historiam retulit.

Paucos ante annos desponsata, delicatissimo mori indulgens, vix nuptiali arâ relictâ, longum iter cum viro suo susceperat. Sic, absurdâ consuetudine jubente, animi motibus, qui ex mutatâ conditione, ex familiâ relictâ, ex ignoti expectatione oriuntur, insuper et connubii laboribus viatoria discrimina addiderat; nec ullam curam habuerat, ut nimium solet, debiti quieti temporis cum menses erumperent. Imo jam prægnans, juvenili ardore raptâ et viri exemplo inducta ad Pyrenaica colla ascenderat. Aborta, vix per unam diem in lecto quieverat; nec hemorrhagiâ nec doloribus deterrita fuerat quin insanos cursus mox repeteret.

Ex isto tempore lumborum dolores, menses nimii, fluor albidus excruciare eam ceperant nec postea concepit.

Collum uteri inveni torosum, turgidum, porrectum, ferè ad os vaginæ descendens. Sine dubio congestio sæpius recurrens et male curata huic vitio causa adscribi poterat.

Non semel hanc cervicis uterinæ formam cum sterilitate conjunctam vidi. Baudelocque major, Chomel referente, huic remedium proponebat congressum per menses, quia hoc in tempore os uteri magis patet. Quod quidem consilium sæpius non innoxium, in plurimis casibus perinutile mihi videtur. Melius, si non fallor, viro suadebitur ut non altius membrum suum in copulatione ducat et in ipso ejaculationis momento telum, sicut de Parthis narratur, recedens ejiciat. In plurimis exemplis hoc profuit; et nonnulli pueri ex meis consiliis ita fuerunt in lucem editi.

Si uterus citra naturalem modum invertatur vel inflectatur, colli ad adversum vaginæ parietem applicati ostium clauditur et in sexuali commercio semen recusat.

Hoc etiam fieri potest ut nimium mobilis pro vario corporis situ uterus nutet, ita ut, si supina recumbit mulier, corpus uteri retrorsum vergat, os que anteriorem vaginæ parietem osculetur. Si contra eadem, facie ad lectum versâ, in pectore et ventre reponitur, vel suâ sponte vel digito immisso, facile ad naturalem regionem uterus revocabitur. Indè, si mobilioris uteri retroversio conceptioni obstet, consilium dabitur ut in sexuali commercio super virum mulier prona incumbat, seu quadrupedum ritû congressus instituat.

Obs. II. — Hoc consilium dedi homini cuidam in artibus præcellenti, cujus uxor ex sexdecim mensibus in lecto jacebat hystericâ passione laborans; pluribus doloribus ipso otio auctis discruciabatur: etenim nec stare valebat

nec domesticis vacare officiis. Ex primo partû uterus dolebat et sterilis ipsa remanserat.

Suspiciens in pelvi hæere primam mali labem, digitum in vaginam immisi et uterum reperi tumidum, retroversum ita ut cervix anteriori vaginæ parieti cohæreret. Sed mobilis facile in suum reduci poterat.

Prægnationem arbitrabar optimum fore remedium, cui vir objiciebat uxorem conceptioni aptam jam non videri. Detectâ sterilitatis causâ eum exhortatus sum ut uxorem in facie pronam amplecteretur, postquam cum digito depressum uteri fundum sublevasset.

Non multo tempore elapso hæc mulier concepit et post felicem partum ad sanitatem rediit.

In pluribus casibus devius uterus ægrè in suum nidum restituitur, redux difficiliter rectam servat directionem. Tunc, ut post reductionem certam sedem habeat, nonnulla requirenda sunt adminicula. In imam vaginæ valleculam, inter cervicem uteri et vaginalem parietem, spongiolam immittere licebit. Dr Sims anulum invenit cavum, levissimum ex alumino conflatum quod eidem proposito respondet.

In iisdem circumstantiis, ut suadebat Chomel, variandæ sunt coeuntium positiones ut melius utriusque sexus genitalia congruant.

Cum ex impedito seminis itinere sterilitas constat non nulli chirurgi idipsum semen, ex recenti venere, cum clysterio in vagina collectum in uterum injicere ausi sunt; quod quidem in aliquot casibus successit. Hoc tentamen a morali lege forsitan absolvi potest, sed matrimonii gravitati mulieris simul et medici dignitati nimis repugnat. Hoc nunquam nec proponere nec tentare vellem. Sed haud illicitum mihi visum est, si post diversa tentamina diutius uxor infæcunda manserit, ipsum maritum digitum post coitum in vaginam immittere et ita receptum semen uteri ostio admovere, quod ab intimo connuptorum commercio non ita alienum et absolvendum si procreationem, sanctam connubii finem, adjuvare possit. Paucissima enim seminalis liquoris quantitas requiritur ut impregnatio fiat; et cum ostiolo uteri hæret ut in pervium canalem, spermatozoidum motibus faventibus, prodeat, sperare non absurdum.

Non nunquam uteri cervix prominens, rotunda, subtumida, rubescens virilis glandis formam mentitur. Ipsum ostiolum rotundum et sæpius angustum in apice glandis istius situm, ad recipiendum semen minus aptum videtur. Hæc formæ varietas, non prorsus rara, nuper mihi occurrit in muliere a decem annis sine partû nuptâ. Vix ostium uteri erat conspicuum; dum in plerisque mulieribus quæ veneri indulgent,

etiam nunquam edito partu, uteri cervix rotundam formam, puellis propriam, amittere solet et in latitudinem increscit; ipsumque ostium, quod in virgine velut circulare foramen apparet, latescit et in linearem rimam extenditur.

In his circumstantiis et in plurimis aliis uterini oris angustiae sterilitas adscribi potest, quod veteres non latuit: « Nec casus rari, inquit » Haller, in quibus id osculum aut praeter modum angustum fuit aut » omnino coaluit aut a convulsione arctatur. »

Huic angustiae curandae plurima remedia fuerunt proposita: simplicissimum omnium occurrit dilatio: cuiquidem instituendae quam plura inventa sunt instrumenta. Alia ex duabus lamellis constant quae abduci et latescere possunt. Alia ex spongiis vel ex laminariâ conflata humiditate augescunt.

Nonnulli chirurgi angusti colli sectionem tentaverunt; quod quidem dubiam utilitatem certum periculum affert et plurimas mulieres stygiae cymbae imposuit. Secta cervix cum coalescet angustiam saepius renovabit, quod istius operationis levissimum habebitur incommodum.

Amicus noster D^r Bouchacourt Lugdunensis uteri collum porrectum, glandis virilis figuram referens cum ostii angustia, utrinque leviter incisum cum ferro ignito adussit. In simili casu incisionem praeterivi; sed post dilatationem, ad mutandam uteri nutritionem, duo puncta ignea utriusque ostii lateri admovere non pœnituit.

Alia sterilitatis causa in pravâ cervicis secretionem hæret, praesertim cum mucus viscosus, glutinis instar, ostium occupat et praeccludit, quod saepius observavi. Ut mutetur ista perversa secretio diversa tentavi, Lunari caustico saepissimè usus sum non nunquam tincturâ iodii.

In his tentaminibus aliquando accidit ut lunare causticum, praesertim si purius et accuratius praeparatum, in uteri cervice frangeretur, quod devitare studeo quanquam nihil detrimenti unquam attulerit. Vel injectâ largiter aquâ foras ejicitur, vel cervicis parietibus inhærescit; et in lunari sale tunc ista fit mutatio ut paulatim spiritus nitri evanescat, solum oxidum argenti remaneat, teste amico meo D^re Richet.

Imo id non nunquam evenit ut quod in casu erat positum curationis fieret instrumentum.

Obs. III. — Quatuor ante annos ad mea consilia confugit eximia muliercula quaedam, querens se ex longo tempore jam nuptam materna gaudia non novisse. Tristis et mœrens me de sterilitatis causis percontabatur, quarum nullam aliam reperi praeter uteri canalem mucoso glutine impeditum. Ipsum

ostium erat rubrum et leviter crenatum. Huic lunare causticum admovi et altius in cervicis fistulam duxi. Post octo dies caustici repetita impositio parum profecerat, cum, septem diebus iterum elapsis, novam tentavi cauterii admotionem; fractum causticum in utero remansit. Per sequentes dies paululum sanguinis effluxit et septimâ die quum eam adirem, mihi narravit se pridie per vaginam amisisse corpusculum durum, exterius subalbidum, nigrum intus; procul dubio causticum erat muco involutum. Post paucissimos dies prœgnans evasit; et ex hoc tempore plures habuit felices partus.

Ad corrigendas pravas uteri secretionem, plurimum conferunt mineralia balnea quorum non nulla graviditati faventia vulgantur. Sulfurea Pyrenaica aquae vel salinae in thermis Plumbariis (1) aut Embasiae (2) usitatae ad hoc saepe profuerunt.

Cum lenissimo impulsu in vaginam injiciendae sunt minerales aquae, aut ipse uterus balnei faciendus est particeps per canalem cavum qui in vaginam immittetur, ad decem vel quindecim minutas ibi remansurus. Etenim ex experimentis ritè institutis compertum est aquam balnei in naturalibus conditionibus ad vaginae caveam permeare non posse.

Peracto vel omisso aquarum mineralium usu, donec catarrhus uterinus vel parvus vel profusus finem habeat, injicienda sunt in vaginam decocta astringentia, resolventia, emollientia, prout affecti organi conditio requirat. In catarrhis recentioribus et acutis vel dolore stipatis quae adstringunt lenientibus sunt postponenda: decocta oryzae, althaeae, papaveris, cydoniae seminum saepius usurpantur.

Anthemis, thea viridis, sambuci flores, rosa rubra, geum, alchemilla vulgaris, teucrium, symphytum, jam paulisper vasa coarctant.

Magis astringunt juglandis folia, quercus aut cinchonae cortices, krameriae, fragariae, tormentillae, polygoni histortae radices, ipsum tanninum et permulta simplicia medicamenta olim magna cum laude usitata, quae nunc obsoleta in usum jam non vocantur.

Inter mineralia, alumen, sulfas zincicus, sulfas cupricus, chloruretum ferricum, boras sodicus, chloras potassicus, quae in emolliente vel astringente decocto solvantur. Quae sunt congruentibus viribus praedita, opportunè saepe miscentur. Alia aliis nonnunquam temperanda sunt; sic adstringentibus narcotica non incassum addentur. Ista mixtura pro

(1) Plombières.

(2) Ems.

variis morbi conditionibus ordinandæ sunt. In subacutis catarrhis non raro hanc formulam usurpavi.

Cydoniæ seminum decoctum (libræ duæ). 1000 grammata.

Sequentis solutionis duo cochlearia addantur :

Aquæ rosarum distillatæ.....	200 grammata.
Aquæ lauri cerasi.....	100 —
Boratis sodici	40 —

Cùm herpetica subest labes, cui catharrus pertinax adscribendus est, non nunquam hydrargyri muriatici corrosivi centigrammata aliquot lactucae et papaveris decocto misceo; alias magisterii bismuthi quatuor grammata, calomelas simul et gramma unum in cydoniæ mucilagine suspensa in vaginam injici jubeo, quod nuper bene successit mulieri cuidam vaginæ et uteri herpeticâ inflammatione vexatæ. Hæc inflammatio permultis aliis medicaminibus tentata non subsederat.

Eodem in morbo cataplasmata ex oryzae farinâ et magisterio bismuthi, linteo involuta, in vaginam non nunquam inferri curavi quod interdum mirum in modum inflammationis vim compescuit.

Non nunquam in uteri cavo nascuntur polypi, quos, ut alias dicam, ingens malorum caterva sæpius assequitur. Sive enim foras prodeant in vaginâ penduli, sive in imo uterinæ cervicis recessu latescant, varia inducunt incommoda. Indè tenaces catharri, crebræ et profusæ hemorrhagiæ, imo ex impeditis mensibus perimetrites exoriri possunt; sæpissime semini viam præcludentes cum sterilitate junguntur.

Si in animo habet medicus ut hos polypos auferat, operam dabit ut penitus eradicentur. Non nulli enim uteri parieti annectuntur longo et gracili pediculo, qui si radicitus non evellitur, seminationem cohibere et ipsum polypum regnare potest.

§ II. — Ex plurimis causis in homine sterilitas oriri potest, quod à nuperis rite explanatum fuit. Testis absconditus in abdomine vel cum vaginali membranâ cohærens, aut nimias inflammationes, præsertim venereas, passus sæpius effœtum et sterile semen suppeditat.

Virilem sterilitatem omittens, pauca exponam de peculiari quadam impotentia formâ quæ *relativa* vel *imaginaria* vocari posset: virilis facultas penitus viget, sed inopportunè languescit cum exercenda requiritur.

Hæc infirmitas sæpius mihi occurrit et in variis conditionibus observari potest: non nunquam castus et timidus juvenis, de viribus suis diffidens, novitate tentaminis commotus, conjugali munere in primo congressu fungi non valet. Indè quoties uxorem postea aggreditur, timor artus occupat et genitalem ardorem exstinguit. Indè crescente anxietate animus discruciat. In re tam vulgari se cæteris hominibus imo vilissimis animalibus inferiorem præbere opprobrium videtur. Dilectam conjugem possidendi desiderio incenditur; nec satis vocatus a naturâ quæ mentis cupidini indocilis non plane respondet, nova prælia tentat. Sed pristinorum tentaminum memoria iterum novas præparat delusiones.

Qui ex mente exoritur morbus per mentem curandus. Hos miserrimos blandis verbis demulcere et hortari decet, fiduciam afflare, meliora in futurum promittere. Illis suadendum est ut nova tentamina ad tempus omittant, donec a naturâ sæpius et vehementer incitati fortius valeant. Hoc ipso in tentamine vitare debent motus nimios et sitûs mutationes in quibus pars virium impenditur, et prisci terrores ad mentem facilius recurrent. Indè melius erit ut uxoribus in latere recumbentibus se retrorsum admoveant, et ita sine conatu, sine nimia corporis exercitatione coitum absolvant.

Obs. IV. — Hoc consilium, paucos ante annos, à me datum memini juveni cuidam, rem militarem agenti, qui, plus quam triginta annos natus, religionis causâ castus remanserat. Ab undecim mensibus inuuptus conjugale opus absolvere non valuerat et se impotentem accusabat gemens; cum formosæ uxoris amore flagraret et ab illâ semotus tentigine sæpius moveretur, quæ cum eam aggrederetur evanescebat.

Præceptis meis annuit et paucis diebus elapsis, triumphales litteras exultans mihi scripsit in quibus victoriam gratus meis consiliis adscribere se profitebatur; et si uxor, aiebat, prægnans evaderet puero meum prænomen se impositurum pollicebatur. Res ita se gessit.

Aliàs homines vidi qui in primo juventutis æstu cupiditatibus indulserant, sed maturescentibus annis, se impotentes agnoverant et de matrimonio tentati nesciebant an honestè huic proposito annuere valerent; quod quidem in sanis et vigentibus juvenibus non penitus juventutis erroribus vitatis observabam. Ex his comperta fuit impotentia causa: obscurata sed non omnino obcæcata conscientia flagitia exprobrabat in quæ juvenili ardorem furore perciti se ingurgitaverant; cupidini non assentiente mente, vires impares evaserant; indè interdum fiebat ut

vix paululum erectum membrum, ipsum ante perfectum congressum, semen ejiceret vel potius effunderet; sæpius his a meo consilio desponsatis genitales facultates prorsus restitutas vidi.

Impotentia, de quâ hic agitur, sæpius observatur in irritabilibus et molliori animo præditis hominibus, si uxor nimium et diutius optatis amplexibus obstiterit præsertim si ipsa irritabilior hystericis spasmis sit obnoxia, quum vagina contracta et convulsa arctissimè constringatur et agredientem repellat.

Homines quosdam videre licet cum cæteris mulieribus ardentibus et vigentes cum propriis uxoribus frigidos et invalidos! Ad curandum hoc malum quod mores et naturam simul lædit, quod consuetudine inveteratum difficillimè eradicatur, quod que a sex annis perdurans nuper observavi, nullum non tentandum remedium. Honestam finem omnia tentamina absolvit quæ ad illam obtinendam vergunt.

Lautum et generosum cibum, vinum, omnia quæ veneris ardorem cedere possunt, electricas incitationes, phosphorum prudentissimè dispensatum in auxilium vocavi. Et si hæc irrita remanerent, non mihi inhonestum videretur languido membro ut rigidum efficiatur adminicula aliqua præstare. Non dubito quin, si unâ tantum vice, auxiliante aliquo adjumento, conjugale opus perficeretur, mens illico firmaretur, vires ad naturalem modum redirent, et ista infirmitas, quæ a veteribus incantatio credebatur, omnino evanesceret.

DE LA PÉRIMÉTRITE (1)

— PREMIÈRE LEÇON —

Sommaire. — Définition. — Considérations historiques. — (Chomel, Lisfranc, Récamier, MM. Nonat et Bernutz). — Dénominations diverses appliquées à cette maladie.

Périmétrites péritonitiques et périmétrites phlegmoneuses.

Théories émises par MM. Bernutz et Pidoux.

Étiologie. — Puerpéralité. — Nécessité du repos horizontal pendant la première période menstruelle qui suit l'accouchement.

Fréquences des périmétrites chez les femmes qui n'allaitent pas.

Influence de l'avortement, des troubles menstruels. — Imprudences commises pendant les époques cataméniales (Excès, fatigue, refroidissement, émotions morales, etc...).

Affections utérines accompagnées de dysménorrhée. — Observation clinique.

Blennorrhagie. — Traumatismes. — Manœuvres chirurgicales (cautérisations, cathétérisme, dilatation, injections intra-utérines, etc...).

Formes aiguë, subaiguë, chronique de la périmétrite. — Périmétrite aiguë. — Périmétrite postpuerpérale.

Causes occasionnelles. — Symptômes : fièvre, météorisme. — Douleurs. — Signes fournis par la palpation et par le toucher. — Phénomènes accessoires. — Marche. — Terminaison par résolution.

MESSIEURS,

La périmétrite est une des maladies les plus communes que nous ayons l'occasion de rencontrer dans nos salles de femmes. Je désigne sous ce nom une phlegmasie, qui a pour point de départ un trouble et une lésion de l'appareil utéro-ovarien et pour foyer principal le péritoine pelvien; l'utérus, les ovaires, les trompes participent en général à la fluxion congestive.

Chomel désignait cette maladie sous le nom de métrô-péritonite postpuerpérale, dénomination plus exacte que celle de pelvi-péritonite qui

(1) Leçons en partie publiées dans la *Gazette des hôpitaux*, 1859, et tirées de plusieurs leçons inédites, faites à l'Hôtel-Dieu les années suivantes.